MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80461-5

AUTHOR:

MORGENSTERN, OTTO

TITLE:

CURAE CATULLIANAE

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1894

Master Negative #

92-80461-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Morgenstern, Otto
Curae Catullianae; scripsit Otto Morgenstern. Berolini, Formis fratrum Radetzki, 1894.
xx p. 30 cm.

At head of title: Wissenschaftliche beilage zum Programm des Gymnasiums in Gr.-Lichterfelde ...

Vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/21/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Gymnasiums in Gr.-Lichterfelde.
Ostern 1894.

Curae Catullianae.

Scripsit Otto Morgenstern.

Berolini 1894.
Formis fratrum Radetzki typogr. aulic.

1894. Progr.-No. 78.

No. 5

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Gymnasiums in Gr.-Lichterfelde.
Ostern 1894.

CURAE CATULLIANAE.

Scripsit Otto Morgenstern.

BEROLINI 1894.
Formis fratrum Radetzki typogr. aulic.

1894. Progr.-No. 78.

De codicibus recensendis.

Post editionem a. 1829 a Carolo Lachmann vulgatam Ludovicus Schwabe a. 1886 Catulli carmina ad optimos codices denuo collatos iterum recognovit editionemque suam indicibus testimoniorum et verborum Catullianorum adiectis ita instruxit, ut studiis Catullianis optime servisse iudicandus sit. Nuperrime Carolus Paulus Schulze Aemilii Baehrens editionem renovavit, coniecturis largius effusis oblimatam purgavit, additis codicis **M**(arciani) lectionibus fundamentum criticum iam pridem iactum fulcire et firmare conatus est. Et profecto, si Schulzio credimus, codex **M** aliquot locis ceteris **V**(eronensis) apographis praestare videtur (cf. Hermae tom. XXIII, 1888, p. 588 sqq.). Pauca hic liceat afferre exempla. In c. 21, 13 codex **M** exhibet *ne* pro *nec* **G O**; c. 61, 24 recte *ludicrum* pro *ludricum* **G O**; c. 66, 86 *indignis* pro *indigetis* **G** *indignatis* **O**; c. 68b, 115 *rita* pro *rite* **G O**; c. 84, 2 *hinsidias* pro *insidias he* **G** *insidias hee* **O**; c. 90, 6 *omentum* pro *omnetum* **G** *quintum* **O**. De hoc codice, quem heliotypica arte exprimendum curavit Constantinus Nigra (Venetiis a. 1893), v. quid Hugo Magnus iudicaverit (Wochenschrift f. klass. Phil. 1893 p. 1172 sqq.). Neque utile videtur in Catullo emendando unius codicis, sive **G** sive **O**, vestigia nimis anxie persequi. Ut enim loci sunt, ubi **G**(ermanensem) sequi nemo est quin malit, ita aliis locis **O**(xoniensis) meliora servavit neque desunt loci, ubi adhuc sub iudice lis est. Velut c. 57, 7 non dubito, quin **O** manum Catulli servaverit, in quo legitur:

Uno in lecticulo erudituli ambo.

In ceteris codicibus hiat oratio ad hunc modum:

Uno in lectulo erudituli ambo.

Sed in Catulli carminibus voces mensurae creticae frequentantur ante vocales, semper collisae (et cum arsi, quam nos dicimus, cf. 4, 15 *ultimā ĕx origine:* 25, 2 *imulā ŏricilla:* 29, 12 *ultimā ŏccidentis:* 42, 8 *mimicē ăc:* 60, 2 *infimā ĭnguinum*, et cum thesi, cf. 45, 3 *perditē ămo:* 91, 2 *perditō ămore:* 97, 6 *ploxenī habet:* 104, 3 *perditē ămarem)*, nusquam hiantes, ne in arsi quidem, quam c. 27, 4 uno voculae creticae hiantis exemplo Gellius male oneravit nostris codicibus repugnantibus. Hoc igitur loco hiatus fit in thesi, ubi quam angustis omnino terminis hiatus usum poeta

circumscripserit, postea exponemus. Codicis vero **O** lectio eo magis arridet, quod librarium nusquam alibi hiatum interpolando sustulisse videmus, sicut in **D**(atano), in quo removendi hiatus causa verba duobus locis traiecta esse verisimile est (c. 76, 10 et fortasse 99, 8). At Schwabius (act. litt. Ien. a. 1875 p. 513 sq.) per leges sermonis Latini licere formari deminutivum *lecticulus* negavit. Contra quem Baehrensius recte monuit Romanis, qui a *pannus* ducerent et *pannulus* et *panniculus*, etiam a *lectus* formare licuisse et *lectulus* et *lecticulus*. Nimirum *lectum* plerumque quidem esse declinationis secundae, multo rarius quartae, a qua fieret *lecticulus* ut *versiculus* a *versus*. (Cf. etiam Munro, criticisms and elucidations of Catullus, 1878 p. 132.) Ad hoc exemplum a Baehrensio allatum iuvat duo vocabula adicere a me investigata, quorum ego formas ex quarta declinatione petitas non novi, *clavus, i* et *servus, i*. Verumtamen bina exstant deminutiva, a *clavus* et *clavulus* et *claviculus*, a *servus* et *servulus* et *serviculus*. (Cf. etiam *hinnus hinnula hinnicula*.) Itaque nihil obstat, quominus lecticulum Latine dici potuisse credamus. Iam vero exemplum erroris in **G** admissi circumspiciamus. Ibi *lectulo* pro *lecticulo* legitur omissis litteris *ic*. Sed cum alias litteras vel singulas vel binas vel plures multifariam a librariis omissas esse nemo est quin sciat tum litteras *ic* idem **G** praetermisit etiam c. 3, 11 in voce *tenebricosum*, pro qua *tenebrosum* scriptum est. Quae cum ita sint, c. 57, 7 cum **O** scribendum esse censemus:

Uno in lecticulo erudituli ambo.

Neque altero loco pro **O** propugnare veremur. Nam c. 64, 353, ubi **G** et **O** discrepant inter se voce paenultima (*cultor* **G**, *messor* **O**), nos cum **O** legemus:

(Achilles.) *velut densas praecerpens messor aristas*
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.

Nam si *praecerpens* recte ab Ach. Statio Catullo redditum est, haec vox multo magis indiget instrumenti significatione quam verbum prosternendi (v. 355), quod tamen ablativo, ut grammatice loquar, instrumenti *(ferro infesto)* non caret. Itaque haud scio an *praecerpens* in codice archetypo explanatum fuerit adiecto ablativo *cultro* id est *ferro, falce*, quae glossa, ut fit, postea in contextum irrepsit pro genuino *messor* et metro sententiaeque accommodata in *cultor* mutata est. (Aliter *messoris* nomen defendit Schulzius Hermae tom. XXIII, 1888, p. 578; contra *cultoris* defensores exstiterunt Rudolfus Sydow in diss. Berol. a. 1881 de recensendis Catulli carminibus scripta p. 36 sq. et Bernhardus Schmidt a. 1887 in edit. maiore p. CII.)

Sed maximo opere cavendum est, ne studio et amore unius codicis quamvis praestantis capti ullo loco manus demus sine accuratissima examinatione. Quod ut uno saltem exemplo probemus, eligimus epithalamii versus illos, quos ad exemplar Medeae Euripideae ab Ennio Romam translatae conformatos esse videmus, c. 64, 171—176:

Iuppiter) omnipotens, utinam ne tempore primo*
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Creta religasset navita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes!

In v. 174 non assentatores solum codicis **O**, sed etiam Schwabius eius scripturam amplexus est, *in Creta* cum scriberet (**G**: *in Cretam*). Videamus ergo, quo iure id fecerit. Primis duobus versibus adventus Thesei mentio fit *(puppes litus Cretae insulae tangunt)*, extremi duo Theseum hospitio acceptum testantur. Luce igitur clarius est mediis duobus versibus commemorari, siquid inter appulsum litoris et aditum ad Minoem medium inciderit. (Aliter Sydow l. l. p. 49 et Baehrens comment. p. 409.) Quamobrem verba *religare funem* hoc loco nihil aliud valent nisi *ligare funem (retinaculum) ad litus* (contra *religare iuga* c. 63, 84 contrario sensu positum idem est, quod *solvere iugum)*. Nec alia vis apud ceteros poetas *religandi* verbo inest. (Cf. e. g. Verg. Aen. 7, 105 sq.: *Laomedontia pubes gramineo ripae religarit ab aggere classem.* Hor. carm. 1, 32, 7 sq.: *sive iactatam religarat udo litore navim:* quo loco erravit Lessingius noster: „Das *religarat* übersetzen Sie hier durch *befestigen* und hätten es durch *losbinden* geben sollen. Sie sagen also hier gleich das Gegenteil von dem, was Horaz sagen will." Ov. met. 13, 439: *litore Threicio classem religarat Atrides:* 14, 248: *Circaeo religata in litore pinu.*) Sic deinceps omnia aptissime sese excipiunt. Ariadnae verba in memoriam revocant primum Thesei navem ad litus insulae appulsam, deinde ancoram iactam et funem a litore religatum, denique nautam egressum et Minois regiam petentem. Iam apparet, cur Schwabius aliique maluerint *in Creta* legere quam *in Cretam*. Nam in exemplis supra congestis nullum alium deprendis casum, quo locus religandi notetur, nisi ablativum sive ex praepositionibus *(in, a)* pendentem sive nudum. Quo vero iure interpretes verba illa *in Creta religasset navita funem* coniungunt? Num Latine minus audacter dicitur *funem religare in Creta* pro *in litore Cretae* quam nostra lingua *sein Tau an Griechenland anbinden* pro *am Gestade von Griechenland?* Quoquo modo se res habet, nos cum **G** legemus *in Cretam* et haec verba ad participium *ferens* revocabimus (cf. v. 82 sq.: *talia Cretam funera . . . portarentur)*. Quae interpretatio affatim commendatur versus caesura, qua verba illa cum praecedentibus voce coniungere, a sequentibus secernere cogimur. Quae cum ita sint, lineolam illam, qua *m* significatur, ab **O** codicis scriba hoc loco omissam esse statuimus.

At si et hoc loco et alibi fieri potest, ut vel discrepantibus inter se codicibus, utri maior fides habenda sit, eruamus, tamen, cum ne optimi quidem codices mendis librariorum vel foedissimis careant, relinquitur, ut viri docti multifariam emendando

*) **V** semper (octo locis) *Iupiter*, nisi quod 66, 30 et 48 **O** *Iuppiter* exhibet.

verba poetae recuperare instituant. Et sane multis locis viris artis criticae haud ignaris contigit, ut menda illa felicissime sanarent et poetae verba graviter corrupta restituerent. Neque vero mirum est viros doctos saepe divinandi dulcedine ablatos et ingenio nimis indulgentes temere mutasse, quae explicare debebant. Nos, quibus non minus utile videtur verba tradita consilio poetae enodato ab inani mutatione defendere quam emendationes speciosas magis quam veras effundere, a Schwabii editione perutili profecti, quamvis caute et diligenter vir doctissimus in textu constituendo versatus sit, tamen non possumus non fateri etiam hunc editorem religiosissimum et eruditissimum compluribus locis a verbis traditis recessisse nulla coactum necessitate.

I.

De locis adhuc praeter Catulli mentem explicatis ideoque sine iusta causa mutatis.

c. 8, 15. Ac primum quidem scripturae c. 8, 15 traditae defendendae periculum facturus sum. Ibi Catullus in Lesbiam suam his verbis invehitur:

Scelesta, ne te . . . quae tibi manet vita!
Quis nunc te adibit? Cui videberis bella?
Quem nunc amabis? Cuius esse diceris?
Quem basiabis? Cui labella mordebis?

In praecedente versu *At tu dolebis, cum rogaberis nulla* absolvi sententiam neque probari posse, quod Ach. Statius scribendum coniecit *cum rogaberis nulla, Scelesta, nocte,* aut Vossii commentum *cum rogaberis nullam, Scelesta, noctem* iam Mauricius Haupt obs. crit. p. 3 (= opusc. I, 75) recte monuit. Itaque v. 15 per se comprehendendus est. In quo explicando plerique viri docti Balthasaris Venatoris coniecturam (a. 1621) sibi assumpserunt *vae te!* pro *ne te* legentis. Quam Hauptius p. 7 (opusc. I, 78 sq.) duobus exemplis, altero ex Plauto, altero ex Seneca filio petitis, comprobare conatus est. Sed cum apud Catullum, Vergilium, Horatium *vae* interiectio semel exstet, casu non addito, nec accusativo nec dativo, apud Tibullum et Propertium nusquam, certe cautiores fuisse putabimur, si Catullo talem dictionem non coniectura inculcaverimus, qualem etiam si codices testarentur difficile esset ab omni suspicione vindicare. Iam reiecto Venatoris invento videamus, quid ante eum viris doctis placuerit. In Aldina a. 1502 scriptum est: *Scelesta, tene?* neque id mutavit Muretus, qui haec addit: „Habui puer librum veterem, in quo memini versum hunc ita scriptum esse *Scelesta, quae nunc, quae tibi manet vita?* Neque tamen illam alteram scripturam improbandam puto.“ Quam lectionem *tene* non explicari posse nisi subauditis verbis *aliquis rogaverit?*, hanc vero interrogationem hoc loco nimis otiosam esse iam Hauptius animadvertit. Itaque cum in optimis codicibus versus ita traditus sit:

Scelesta, ne te . . . quae tibi manet vita!

in hac scriptura interpretanda periclitemur. Atque haec verba posse explicari ego meo

Marte contendo. Poeta enim cum voluisset dicere *Scelesta, ne te paeniteat* (cf. 30, 12) *arrogantiae tuae!* primaque verba iam prompsisset, veritus, ne vana minanti puella illuderet, intra se suppressit, quae dicturus erat, ita ut verbis *Scelesta, ne te* non continuatis medium sermonem suum ipse interrumperet et aliter pergens atque coeperat vitae ab amicis desertae et amore vacuae mala perstringeret singula. Cf. c. 10, 28—30, ubi poeta prece plane insperata sollicitus et perturbatus non plena enuntiata, sed enuntiatorum tantum particulas voce balba profundit structura verborum neglecta. Verba enim:

Istud, quod modo dixeram me habere,

sic continuare debebat: *revera non habeo.* Sed hoc tacet atque enuntiato non ad finem perducto haec subicit: *Fugit me ratio.* Hoc reticentiae genus etiam antiquis in usu fuisse et grammaticorum praecepta docent et scriptorum exempla evincunt. Cf. Ter. Andr. 164: *quem quidem ego si sensero . . . sed quid opust verbis?* Cic. pro Mil. 33: *An huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium . . . non audeo totum dicere.* Verg. Aen. 1,135: *Quos ego . . . sed motos praestat componere fluctus:* Aen. 5,195: *Non iam prima peto Mnestheus neque vincere certo (Quamquam o! . . . sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti),* similia.

Transeo ad dulcissimos versiculos illos, quibus poeta Acmes et Septimii amores c. 45, 8 sq.
descripsit ipsumque Amorem deum amantibus faventem induxit hisce verbis: et 17 sq.

Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
Dextra sternuit approbationem.

Hos versus adhuc nemo ita explicavit, ut scrupuli residerent nulli. Quapropter si nobis melius evenire possit, conari quidem licebit. Ac si etiam ad verba *sinistra ut ante* quae sequuntur *sternuit approbationem* referenda et subaudienda esse recte statuimus (aliter K. P. Schulze, Beiträge zur Erklärung der römischen Elegiker, progr. Berol. 1893, p. 10), poeta Amorem ante sinistra, nunc dextra sternuisse approbationem hoc loco docet. Quid? in isto *ante* nonne omnem difficultatem positam esse manifestum est? Nam posteriore loco (v. 17. 18) illud *ante* facile explicatur, priore loco (v. 8. 9) interpretes in eo haeserunt neque habebant, quo referrent. Quodsi reputaverimus Romanis sinistra, Graecis dextra meliora visa esse (Cic. de div. 2, 39, 82), Catulli vero temporibus etiam Graecorum usum a poetis Romanis recipi coeptum esse, facile concedemus Catullum, Alexandrinorum imitatorem, utriusque usus rationem habuisse et vocabulo *ante* adhibito id, quod a n t e a e t a t e m suam fuisset, dixisse. Amorem igitur, cum ante aetatem Catullianam priscis temporibus Romanis s i n i s t r a approbationem sternuere solitus esset, nonne nunc mutata ratione Septimio eiusque amoribus Graeco more d e x t r a approbationem sternuisse poeta venustissime finxit? Ut enim Septimius ipse libertam et Graecam maluit quam mulierem Romanam, ita etiam Amor hominis

graecantis delicias Graeco more approbare maluit quam Romano. Nec mirum est poetae docto placuisse, ut mutatas auspiciorum formas data facultate lepidissime perstringeret, similiter atque Alexandrini poetae de dis rebusque divinis dicentes id maxime agebant, ut ab Homero recederent novaque doctrina legentes oblectarent.

Hoc vero carmine ad Amoris statuam quandam amantes inter se collocutos esse Baehrensius vult, de Amoris in pariete pictura cogitavit Hugo Weber quaest. Catull. 1890, p. 147 sq.

Et quoniam incidimus in Amoris dei arte repraesentati mentionem, non possumus tacere de Theodori Birt commentariolo Catulliano altero Marpurgi 1892 emisso, qui est de Amorum in arte antiqua simulacris et de pueris minutis apud antiquos in deliciis habitis. Ac de Amorum deorum inventione, origine, proprietatibus quamvis iucunde et luculenter vir doctissimus disputaverit, tamen de ratione carminum LV et LVI explicandorum restant aliquot dubitationes.

c. 55. In carmine quinquagesimo quinto minus arridet emendatio verborum *A vel te* in *Puellae* mutatorum. Nam etsi haud ignoro etiam c. 3 v. 17 basi, quae dicitur, iambica a ceteris versibus eius carminis differre, tamen cavendum est, ne per coniecturam basim iambicam imponamus carmini, cuius nullae traditae sunt bases nisi spondiacae. Etenim in v. 12 *em* particula sententiae quidem convenit, sed hiatum efficit insolitum; quam particulam a Catullo vitatam esse codices c. 61, 156 probant, ubi cum *em* particula, sententiae magis conveniens, salvo metro poni posset, tamen unanimo librariorum consensu *en* traditum est. Nec id Ottonem Ribbeck fugit de particularum vi et usu disserentem (Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln, Lipsiae 1869, p. 35). *Camerium* vero primam versus 10 sedem occupantem nemo mihi obiciet, siquidem nomina propria apud poetas antiquos minus alligata esse mensurae necessitate constat.

Iam istum Camerium puerum minutum fuisse Birtius affirmat. Id genus apud Romanos in deliciis habitum esse ex Varronis epistulis Latinis (apud Non. Marc. ed. L. Müller I, p. 204) discimus. Ibi scriptum exstat: *Veni sis Capuam, quod et pueros minutos vides libenter et maioris animadvertere non vis.* Locus obscurus ille quidem, sed nullo negotio illustrandus et explanandus, si pro *maioris* (*maforis* **L**) restituimus *nisi* (vel *ni, nei*) *foris*. Camerium vero puerum minutum fuisse mihi quidem Birtius non persuasit. Certe verba *in omnibus libellis* (v. 4) unicum imitationis Graecae (**ἐν τοῖς ἰχθύσι** = *in foro pisca(to)rio* Aristoph. vesp. 755) exemplum Latinum esse facilius ut credam a me impetrare possum quam Camerium ipso libri alicuius volumine involutum a poeta hic dici. His enim verbis parvitatem Camerii illudi vetant ceterae, quas simul enumeravit poeta, urbis Romae regiones. Nam quae profert loca varia, ibi adulescentes elegantiores versari solebant. Quem vero amicum in campo minore et in templo Iovis sacrato modo quaesiverat, eum in ipsis quoque librorum voluminibus a se quaeritatum esse poetam simul dicere

potuisse utique negaverim nec video, quid magis contrarium sit. Nec certius argumentum mihi quidem videtur esse, quod latere Camerium femellae dicunt *in roseis papillis*. Concedo Camerium, si vere latuisset in papillis sive mammarum sive rosarum, minutulum fuisse futurum; sed puellae Catullum sibi in via oblatum istis verbis lascivis procacibusque illiciunt et invitant, ut roseas papillas adeat ad Camerium q u a e r i t a n d u m, qui repereiturne ibi necne, earum minime interesset. Nec mirum scortillis talibus placuisse amicum a Catullo quaeri in papillis suis, quamvis certo scirent eum non ibi esse nec esse posse. Denique in hoc c. LV offendit, quod Catullus puerum minutum *amicum* saepius appellat, qui ne Iuventium quidem hoc nomine allocutus sit. Nam quod Birtius p. XL non serio, sed per iocum Camerium amicum a poeta dici sibi persuasit, vellem firmiora huius rei argumenta attulisset.

In carmine quinquagesimo sexto non video, unde vir doctissimus assecutus sit *puellam* nullo adiecto attributo (ne pronomine quidem possessivo) Lesbiam esse. Lesbia enim etiam in iis carminibus, ubi nomen tacetur, sic notata et insignita est, ut dubitare de ea nequeamus. In hoc autem carmine nihil est, quod ad Lesbiam nos ducat, et, quomodo aliter explicari posset, Schwabe *in puella* pro genetivo vel potius dativo *puellae* proponens indicavit, Baehrens in commentario aliam monstravit viam. c. 56.

Carmen 112, si in versu priore cum Italis *es* pro *est* restituimus lacunamque cum Scaligero additis verbis *est, qui* explevimus, sic legitur: c. 112.

Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo est, qui
Descendit: Naso, multus es et pathicus.

Hoc epigramma multis viris doctis difficile et obscurum visum esse vel ex eo intellegitur, quod tanta in hoc carmen copia coniecturarum effusa est. Baehrens *mundus* ter scripsit pro *multus*, Munro *mutus*, Haupt *te scindit* pro *descendit* eumque secuti Schwabe et Peiper *quin Te scindat*, alii alia. Tamen non ad coniecturas refugiet, qui verba tradita explicare poterit.

Nec defuerunt, qui hoc feliciter temptarent. Velut Bernhardus Schmidt p. CXXXIV carmen ita enarrat: „Homo es loquax, Naso, sed ne loquax quidem homo est qui tecum in publicum p r o d e a t; nam non solum loquax es, verum etiam pathicus." Simili ratione nec tamen pari Hugo Magnus in Fleckeis. annal. 1888 p. 483 versus traditos his fere verbis interpretatur: Naso, homo es loquax et molestus, nec multi homines sunt qui una tecum d e s c e n d a n t, hoc est te in publicum prodeuntem comitari v e l i n t; quid, quod pathicorum more multus, id est molitus (fututus) es!

Quae totius carminis enarrationes etiamsi haud sane displicent, tamen in utraque parum perspicio, cur poeta ipse non usus sit coniunctivo *descendant*, neque video, quo nexu Magnus velit ambas epigrammatis partes inter se cohaerere. Cuius sententiam si sequimur, duae res diversae hoc epigrammate Nasoni obiciuntur: eum tam loquacem et molestum esse, ut pauci homines una cum eo ire velint, eundemque esse hominem

fututum. Hanc diversitatem sententiarum effici verborum *neque tecum multus homo est, qui descendit* explicatione hoc loco aliena et facile tolli posse sine ulla dubitatione confirmaverim. Nam ut c. 104, 4 in verbis „tu cum Tappone omnia monstra facis" *cum Tappone* idem valet ac *sicut Tappo,* ita hoc loco *tecum* idem valet ac *sicut tu.* Porro vox descendendi hoc loco non de quovis in publicum prodeunte dicta est, immo de petitore (cf. Hor. carm. 3, 1, 11) descendente (sc. *in forum,* ut Cic. Phil. 2, 15). Itaque hoc Catullus dixisse mihi videtur: Naso, multus homo es, neque (is,) qui descendit, sicut tu (= eadem ratione, qua tu) multus homo est; tu enim es pathicus!

His igitur verbis *multus es et (quidem) pathicus* ostendit poeta, quonam iure Naso multus homo vocetur, scilicet quia pathicus est. Quo cum lusu apte conferri possunt interrogationes nostrae ioci plenae, quibus quaeritur, quid intersit inter duas res vel duos homines similes aut contra qua ratione similes sint res vel homines, qui nihil videntur habere comparationis. Catullus igitur aenigmatis instar interrogat: Quae est similitudo inter Nasonem et petitorem quemlibet? Respondet sibi ipse facete: Ambo sunt multi, i. e. uterque rem habet (cf. *multus* apud Cic. de rep. 1, 16) cum multis hominibus, sed petitor (qui ambitionis causa descendit ad forum) cum mentibus, Naso (utpote pathicus) cum mentulis! Hac explicatione probata et indicativo *descendit,* qui traditur, suam vim reddidimus neque in eum locum adducimur, ut verba *multus es* in altero quidem versu obsceno sensu . . . molitus (fututus) es . . . intellegamus. Hanc ambiguitatem vocis *multus,* quam a viro docto B. Bury anno 1884 primum prolatam esse Magnus putat, iam pridem a Marcilio observatam esse ex commentario Corradini de Allio (1738) didici. Sed neque opus esse verbum molendi huc arcessi vidimus et praesens tempus *moleris* hoc loco aptius esse perfecto tempore *molitus es* quis est, qui neget? Neque est, cur offendamus in *et* particulae usu (pro *et quidem*) frequentissimo, a quo usu ne Catullus quidem prorsus alienus est; cf. 38, 3.

c. 116, 1. Ac de hoc carmine hactenus; videamus nunc de c. 116, quo poeta Gellium alloquitur hisce verbis:

Saepe tibi studioso animo venante requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae.

In his versibus viri docti reprehenderunt duo attributa substantivo *animo* apposita. Quamobrem iam Guarinus pro *studioso* lenissima mutatione *studiose* scripsit *animum studiose venantem* poetae tribuens, quod Munro et Schwabe comprobaverunt. Complures vero vocem *venante* depravatam esse iudicaverunt et alii alia proposuerunt: Scaliger *venanda,* Froehlich *venata,* Hertzberg *veneranda,* Birt *veni ante,* similia.

Alii cum recte animadvertissent poetam, qui c. 65,16 se Latinum Callimachi interpretem exstitisse ipse testificatus esset *(haec expressa carmina Battiadae),* his versibus ne ullo quidem verbo dicere se carmina Battiadae expressisse, etiam in hoc carmine exprimendi vel convertendi vocem desideraverunt et pro *venante* aut *conversa* (Baehrens)

aut *vernacla* (Palmer) substituerunt. Ego contra nihil mutandum, sed in scriptura tradita acquiescendum esse persuasum habeo. Dicit enim poeta se saepe animo venante operam dedisse, ut Callimachi carmina mittere posset Gellio studioso eorum: *tibi* igitur cum *studioso* velim coniungas, ut studiosus (sc. carminum Battiadae) Gellius vocetur, non animus Catulli. Genetivus vero ille *(carminum Battiadae),* quem flagitat studiosi vox, ex insequentibus repetendus atque subaudiendus est; itemque adiectivum *immemor* a poeta frequentatur genetivo nusquam addito, sed omnibus locis facillime ex proximis collecto et, ut ita dicam, accito. Cf. 30, 1: *Alfene immemor* (sc. unanimorum sodalium) *atque unanimis false sodalibus.* Haec, quam proposui, explicatio haud mediocriter commendatur ipsius versus ratione et consilio. Quid? In hoc versu nonne post quintum semipedem caesuram illam primariam hexametri agnoscimus? Quam a Catullo libenter et studiose cum synaloepha consociatam esse hi testes sunt versus:

62, 5: *Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.*
64, 187: *Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.*
64, 252: *Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis*
100, 1: *Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenum*
100, 3: *Hic fratrem, ille sororem. Hoc est, quod dicitur, illud . . .*

Ac si controversia exsistit, utrum vox quaedam potius ad priorem versus partem an ad posteriorem pertineat, caesura saepe adiuvamur in lite diiudicanda. Cf. quae supra (p. V) de c. 64, 174 disputavimus. Itaque Hauptius c. 110, 3:

Ta, quod promisti mihi, quod mentita inimica es

optime interpunctionem post *promisti* vocabulum transtulit (quaest. Catull. p. 32 = opusc. 1, 23). Nec recte Verg. Aen. 1, 29:

His accensa super iactatos aequore toto

Ladewig et Schaper (ed. X) *super* coniunxerunt cum *aequore toto,* cum caesura moneamur, ut verba *accensa super* de Iunone *insuper accensa* dicta accipiamus. Neque Georges s. v. prae debebat Catullo tribuere haec: *prae se declarant gaudia vultu.* Nam c. 64, 34:

Dona ferunt prae se, declarant gaudia vultu

ut post verba *prae se* distinguamus, item semiquinaria adducimur. Caesuram igitur illam si respexissent viri docti, in c. 116, 1 eos non fugisset *studioso* dativum esse *tibi* pronomini attributum.

II.

De locis distinctione recta sanandis.

Quos modo enumeravi locos duos, distinctione, quam nos dicimus interpunctionem, mala pessumdatos vidimus. Distinctio vero luculenta quid posset, Ioannes Vahlen ind. lect. Berol. aest. 1880 egregie exposuit et exemplis cum cura quaesitis optime illustravit.

Huius viri subtilissimi exemplum sequi Catullique carminum aliquot locos distinctione recta aperire et explanare in animo est.

c. 94. Atque initium capturi sumus a carmine 94, quod vulgo sic distinctum exhibetur:

Mentula moechatur. moechatur mentula certe.
Hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Neque illud hoc loco curo, Corradinum de Allio post prius *moechatur* interrogationis signum posuisse, neque Scaligerum verba *mentula certe* duobus punctis (:) disiunxisse. Sed H. A. Koch (symb. philol. Bonn. p. 320) *certe* vocabulum a prioribus Scaligero auctore seiunctum ad ea traxit, quae sequuntur, ut haec coniungerentur: *certe hoc est, quod dicunt.* Quam rationem minime probandam puto. Poeta enim: Mentula moechatur, inquit, neque mirum est mentulam moechari; nam ipsa ollera olla legit. Verba porro *hoc est, quod dicunt* additamento nullo leguntur etiam c. 100, 3: *hoc est, quod dicitur.* Maximum vero argumentum positum est in Catulli arte. Ubicumque enim verbum quoddam non minus ad ea, quae sequuntur, quam ad ea, quae praecedunt, trahi per sententiam quidem licet, Catullus, quippe cui certe id, quod simplicius erat, placeret, sententiam simul cum versu finire, cum novo versu etiam novam sententiam incohare malebat.

c. 42, 5. Hac Catullianae artis indole non neglecta cavebimus, ne c. 42, 5 cum Froehnero (mus. Rhen. 1892 p. 306) legamus:

Si pati potestis,
Persequamur eam.

c. 12, 2 et 13. Nec magis in carmine duodecimo assentiemur Klotzio v. 2 post *uteris,* non post *vino* interpungenti aut vero Baehrensio v. 13 post *mnemosynum,* non post *sodalis* sententiae finem facienti. Hic miratur singularem numerum *mei sodalis,* cum sudaria a Fabullo et Veranio una missa esse statim legamus. Sed poeta postquam linteum illud donum esse dixit unius ex sodalibus suis — nam Latine *meus sodalis* et *meus quidam sodalis* non satis discernuntur —, ilico accuratius enarrat se lintea accepisse a duobus amicis.

c. 55, 3. Quod vero ad c. 55, 3 Preller (urbis Romae regiones, a. 1846) p. 160 dicit: „Man könnte an dieser Stelle die Interpunktion ändern: *Te campo quaesivimus, minore Te in circo,* welcher circus minor im Gegensatze zum circus maximus der Flaminius sein könnte, allein die gewöhnliche Lesart ist doch sowohl in grammatischer als in sachlicher Hinsicht vorzuziehen", eum recte iudicasse etiam rationes metricae argumento sunt.

Sed quae modo observavimus de versibus sententiisque simul absolutis, eadem iam supra (p. XI) in caesura versuum primaria accidere vidimus. Proinde in senariis, cum aut post quintam aut post septimam syllabam caesura fiat primaria, videamus, ne post tertium pedem distinguentes versum in duas partes discindamus, quarum utraque pari

syllabarum numero constet. Hoc cum alii neglexerunt tum C. P. Schulze, cum c. 29, c. 29, 20.
20 ex sua coniectura sic excudendum curavit:

Hunc Galliae timent, timet Britannia.

Iste vero versus etiam alio laborat mendo. Nam quae in codicibus traduntur *Hunc Gallie timet et Britannie* cum numero sensuque careant nec abnui patiantur emendandi officium, in versu emendando id agi oportet, ne versus restitutus abhorreat a ceterorum conformatione. Totum autem carmen puris iambis scriptum esse manifestum est nec repugnat v. 3; nam in nominibus propriis mensura anceps nihil habet offensionis (cf. Lachm. ad Lucr. I, 360. Kiessling in Hor. carm. ed. altera p. 11). Itaque Hauptius numerorum integritatem restituit quaest. Catull. p. 19 (= opusc. I, 14) sic conformata oratione:

Timete Galliae, hunc time Britannia.

Quam Hauptii coniecturam Baehrensius in editionis suae (1876) adn. crit. depravavit et pervertit immutata sic interpunctione *Timete Galliae hunc, time Britannia* nec Schulzius, cum Baehrensii editionem (a. 1893) redintegraret, viro acutissimo satisfecit suumque reddidit. Idem Schulzius in adn. crit. huius carminis versus 21—24 post v. 10 transpositos esse a Theodoro Mommsen hist. Rom. III, 318 refert; nescio an eum fugerit virum egregium iam in editione septima hist. Rom. (1882) p. 334 ab hac versuum transpositione recessisse. Quodsi retinemus traditum versuum ordinem, ne Hauptii quidem coniectura ab omni vituperatione vindicari potest. Primum „si poeta hoc versu Gallos et Britannos compellaret, etiam finitima verba *quid hunc malum fovetis?* forent ad Gallos et Britannos referenda: at nihil minus fit: Caesarem et Pompeium his novissimis versibus poeta affatur" (Theodorus Bergk ind. lect. Hal. hiem. 1863): deinde pronomen illud „*hunc* in uno et altero versu nonne flaccescit et friget?" (Corr. de Allio.) Qui scrupuli una eximerentur, si Catulli verba ita restituisse videremur:

Et hinc timere Galliae et Britanniae est.

Nempe in timendi verbo iam nemo offendit: v. Magnus B. J. 1887, 2 p. 148. Sed revertamur ad caesurae distinctionisque consociationem.

Nec hendecasyllabos caesura illos quidem carere, sed aut post dactylum aut post c. 1, 8.
tertiam arsin incidi, nullum vero vel admodum nullum post alteram dactyli syllabam interpungi Guilelmus Meyer (act. acad. Monac. 1889 p. 217) bene cognovit. Eo magis mirandum est, quod vir aurium iudicio praestans c. 1, 8

Qualecumque. quod o patrona virgo

veram orationis conformationem non perspexit. Iam ante eum Vahlenus puncto post *qualecumque* deleto versum illum sic excudi iussit:

qualecumque quod, o patrona virgo,

ut vox *qualecumque* (sc. *est*) elegantiae causa enuntiato relativo praemissa sit.

c. 114, 5. Sed his locis iam ab aliis recte prospectum est; neque vero deesse puto locos, quibus sua distinctio nondum reddita sit, velut c. 114, 5, qui sic vulgatur:

Quare concedo sit dives, dum omnia desint.

Baehrens in commentario haec adnotat: „Severus interpres refugit illud *concedo sit:* Latinum est *concedo eum divitem esse,* cum Cic. Verr. II 32, 78 similiaque aliena sint.“ Hanc offensionem ut tollamus, non debemus cum Baehrensio ad coniecturas confugere, sed verbum *concedo* utrimque distinguentes ab orationis perpetuitate secludimus ad hunc modum:

Quare, concedo, sit dives (Coni. concess.)

Nam si verbum *concedo* deesset, oratio non minus recte procederet neque quicquam desideraretur.

c. 10, 30. Alter locus est carminis decimi, cuius versus 27—30 reticentiae exemplum quoddam praebere supra commemoravimus. Unus interpretum Baehrens orationis neglegentiam de industria quaesitam recte intellexit. Cuius verba haec sunt: „Mentis confusionem, qua haec quasi per intervalla erumpit Catullus, bene exprimit et illud *Cinna est Gaius* ad *meus sodalis* ab eo, dum nomen aliquod quaerit, quasi parentheseos loco adiectum et iterum id quod nomine feliciter reperto cum quadam affirmatione additur *is.*“ Qui cum post *sodalis* bene interpunxisset, tamen et eum et ceteros interpretes fugit etiam ante *Gaius* interpungendum esse:

Cinna est, Gaius, is sibi pararit!

Quare inutiliter praenominis postpositi exempla anquisiverunt, quod ab hoc loco alienissimum est. Nam poeta conturbatus primo amicum quendam suum arguit, tum cognomen sodalis tritissimum pronuntiat, denique, ut puellae fidem faciat, praenomen addit cognomine non iterato. Similiter nos quoque: „Warte mal — wovon ich eben sagte, ich besitz' es — wo hatt' ich nur meinen Verstand! Ein Freund von mir — richtig, Cinna ist es, Gajus (Cinna), dem gehören sie!“

Atque haec quidem hactenus. Nam his exemplis congestis videor mihi satis ostendisse distinctione arguta etiam locis obscuris lucem afferri posse insperatam.

III.
De locis coniectura temptandis.

Vidimus etiam distinctione sollerti adhibita multis locis suspectis succurri lectionesque traditas defendi atque a conatibus supervacaneis prohiberi posse. Nihilo setius sunt sane loci nec nimis pauci, ubi cum nec aliis nec nobis contigerit, ut verba tradita satis intellegeremus, nihil relinquatur nisi ut in coniectandi campum latissimum descendamus.

c. 73, 4. C. 73, 3 sq. in codicibus haec exhibentur:

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne,
Immo etiam taedet obestque magisque magis.

Quis dubitabit verba *que magis* falso duplicata esse? Quibus eiectis non cum Avantio illud *taedet* sine ullo orationis emolumento duplicabimus, praesertim quam geminationem in duorum pentametri hemistichiorum confinio Catullus numquam admiserit nisi parva quidem nominis inflexione usus, ut *bello bella* 78, 4; *dulci dulcius* 99, 2; *tristi tristius* 99, 14. Immo cum plurimis viris doctis alterum hemistichium *taedet obestque magis* integrum et sincerum, initium vero versus mancum esse putamus. Quod viri docti cum recte sensissent, vitio succurrere deiectumque primum versiculi pedem alius aliter restituere conati sunt. Eis autem quae praecedunt *nihil fecisse benigne* ut verbum quod vocant finitum subicerent, Avantius alii inseruerunt *prodest,* Baehrens *iuverit,* Munro *iam iuvat.* In hac coniecturarum ubertate et abundantia miror Schwabium, qua est cautione et diligentia, non dubitasse, quin *prodest* reciperet. Nam perfacile est factu coniecturarum copiam, cum voles, adaugere. Equidem arte Catulli etiam atque etiam considerata et circumspecta proxime ad verum accedere mihi videor, cum verbum *nihil* initio versus summo animi motu poetam iterasse contendo. Etenim haec epanalepsis, qua verbum grave initio sequentis versus cum vi quadam rhetorica repetitur, apud Catullum frequentissima et cultissima est, cf. c. 66, 87 sq. et 65, 11 sq. *semper;* c. 64, 61 sq. *prospicit;* 132 sq. *perfide:* 259 sq. *orgia;* 321 sq. *carmine;* 402 sq. *impia.* Quare Munro potius scriberet *nil iuvat* aut *nil valet* aut, id quod ego maxime Catullianum puto, *nil est.* Sic igitur velim legas:

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne,
Nil est: immo etiam taedet obestque magis.

C. 108, 1 in codice **V** sic exstat: c. 108, 1.

Sic homini populari arbitrio tua cana senectus.

Hunc versum viri docti iam pridem restituerunt, sed ita restituerunt, ut cum arte poetae non conveniat:

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus . . .

Nam Catullus nullum scripsit versum hexametrum nisi tertio pede inciso, sive post vocabulum integrum sive post praepositiones compositorum (64, 18. 128. 196. 248) sive ante coniunctionem *que* (64, 206. 224; 107, 5.) Unus repugnat versus c. 64, 193, ubi tamen tertius pes non incisus distinctione valida praecedente satis excusatur:

Eumenides, quibus anguino redimita capillo . . .

Itaque in c. 108, 1 mendum vetustissimum inesse, quo iam exemplar codicis **V** laboraverit, verisimile est, quod cum Froehlichio sic corrigendum puto:

Si populi arbitrio, Comini, tua cana senectus . . .

Reddidimus versui corrupto et depravato caesuram genuinam: nunc una littera c. 30, 6. mutata alteri loco succurrere in animo est. In c. 30, 6 enim pro *dico* codicum non *dic,* sed, quod iam Ellis adnotavit, *dice* scribendum censeo (cf. 36, 16 *face*). Etenim

haud scio an nullae litterae in his codicibus tam crebro inter se commixtae et permutatae sint quam o et e (v. Munro crit. p. 66 sq. et 114).

c. 38. Sed mihi ego extremum proposueram, ut carmen duodequadragesimum in integrum restituerem. Quod carmen Schwabius sic exhibet:

Malest, Cornifici, tuo Catullo,
Malest me hercule et est) laboriose,*
Et magis magis in dies et horas.
Quem tu, quod minimum facillimumque est,
*Qua solatus est**) allocutione?*
Irascor tibi. sic meos amores?
Paulum quid lubet allocutionis,
Maestius lacrimis simonideis.

Catullus hoc carmine octo hendecasyllabis Cornificium amicum suum alloquitur. Queritur poeta, cum male sibi sit, amicum nulla se solatum esse allocutione. Utrum dolorem suum carminis cuiusvis oblectamento vel carmine quodam consolatorio amici, quem eundem esse ac poetam illum ab Ovidio (Trist. 2, 436) laudatum omnes docti consentiunt, levari voluerit an consolandi causa amicum ad se venturum (Lucil. sat. V apud Gell. XVIII, 8) vel litteras scripturum speraverit, vix possumus diiudicare. Hoc sane constat poetam solatio amici caruisse. Propterea irasci se amico fatetur sic remuneranti Catulli amorem. Nam quod Alexander Riese *amores* plurali numero a Catullo semper pro amato vel amata poni dicit ac verba *sic meos amores . . .?* infinitivo***) *se gerere* supplenda esse, ut poeta miretur sic amicum carissimum se gerere, ei assentiri non possumus; qui novem affert locos, quibus certe****) amatus vel amata dicuntur, omissis illis sex (7, 8; 64, 334. 372; 68b, 29; 78, 3; 96, 3), ubi amorem ipsum Catullus dicit, non homines amatos. Itaque nihil obstat, quominus hoc loco Catullum *sic meos amores?* per ellipsin in sermone cotidiano frequentissimam pro *sic meos amores a te rependi?* vel potius pro *sic meos amores rependis?* scripsisse putemus, similiter ac c. 10, 31: *Quid ad me* (sc. *attinet*)? Verg. ecl. 9, 1: *Quo te, Moeri, pedes?* Cic. Att. 1, 2: *Abs te tam diu nihil litterarum?* Audacius Verg. ecl. 3, 25: *Cantando tu illum?* Quodsi quis quaerat, quid hoc loco numerus pluralis valeat, respondeo Catullum plurali numero usum aut plurimorum amoris sui testimoniorum memorem fuisse aut eodem

*) Hoc verbum, quod in **V** deest, Schwabe cum Silligio addit, ut hiatum tollat *hercule et*.

**) Sic errore typothetae pro *es* Schwabii textus.

***) De acc. c. inf. indignationis cf. G. Müller *Über die sogenannten unwilligen oder missbilligenden Fragen im Lateinischen* progr. Goerl. 1875 p. XIX sqq.

****) De uno c. 13,9 dubito an non recte iudicaverit Riesius; nam arbitratus *amores* a poeta semper pro concreto, ut barbare loquar, poni hoc loco *Amores* scribit, ubi vulgata explicatio longe praestat simplicitate et convenientia.

modo locutum esse, quo postea Tibullus (1, 2, 59 sq. II, 2, 11) ac Vergilius, cum Aen. 4, 28 Didonem Sychaei memorem faceret exclamantem (cf. etiam Aen. 1, 350):

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit.

Versus, quibus poeta carmen suum concludit, ab aliis aliter explicantur. Si Schwabii contextum sequimur, Catullus dicit sibi libere paulum aliquid allocutionis, quod maestius sit quam lacrimae (**θρῆνοι**) Simonideae. Sed *paulum quid*, quod Catullus scripsit, dictum esse pro *paulum aliquid* non putaverim; nam Catullus pronomen indefinitum *quid* numquam adhibuit nisi in enuntiatis condicionalibus. Quamobrem *quid* cum *lubet* coniungendum (ut c. 39, 14 *qui lubet*) ac signum distinctionis post *allocutionis* delendum esse pro certo habeo. At quid sibi vult poeta, cum allocutionem amici dicit *maestiorem* esse quam Ceam neniam? Certe *maestius* simili fere sensu dictum est ac si poeta scripsisset *mitius* (Peiper) vel *mollius* (Ramler). Maestius igitur id est, quod ad maestitiam placandam aptius videtur. At elegiae Simonidis potius aptae erant ad miserationem commovendam (Quintil. X, 1, 64) quam ad maestitiam leniendam. Ac reputantibus poetam, etsi paululum allocutionis poscat et, quod ab amico postulet, minimum dicat munus, tamen hoc munusculum levidense praeferre carminibus magnis verbosisque Cei poetae nobis iam non dubium est, quin Catullus voluerit dicere: paulum quidlibet allocutionis, licet Cornificio minimum et facillimum sit, tamen plus valere et maius sibi esse donum quam magna illa Simonidis carmina. (Cf. Cic. Phil. 2, 119 *hoc mihi maius ab dis immortalibus dari nihil potest.*) Et haec sententia poetae, quam ratiocinatione recuperavimus, etiam codicum scriptura confirmatur. Nam verbum substantivum *est* in his versibus non subaudiendum est, sed a codicis scriba primo omissum, deinde superscriptum. denique in vocem *maius* errore

EST

ita irrepsit, ut nova evaderet vox *maestius* (MAIVS = MA EST IVS). Iam exitus carminis nec a sententia nec a metro nobis ullam praebet offensionem ita legentibus:

Paulum quidlubet allocutionis
Maius est lacrimis Simonideis.

neque est, quod cum Parthenio aliisque in carmine extremo nonnulla perisse putemus.

Restat, ut de v. 2 hiatu verba faciamus. Hic versus in codicibus sic exstat: De hiatu, qui fit in thesi.

Male sime hercule et laboriose

hoc est

Malest me hercule et laboriose.

Sed hunc hiatum Catulli esse aut poetam usquam hiatum in thesi admisisse nisi syllaba longa correpta (cf. Bentley ad Hor. carm. 3, 14, 11) ego disertissime negaverim. Quid, quod hic usus poetarum syllabae longae in thesi corripiendae angustissimis terminis circumscriptus est, ea lege, ne syllabae productae vocum quidem

Latinarum corripiantur in thesi ante vocales nisi monosyllabarum, iambicarum, creticarum. Tria igitur sunt vocum hiantium genera, quae singula deinceps nobis consideranda sunt.

1. Monosyllaba*) longa ante vocalem brevem insequentis vocabuli aut colliduntur aut correpta vocali hiant. Sed et collisio et hiatus apud poetas dactylicos continetur certis quibusdam verbis. Monosyllabis in vocalem longam exeuntibus numquam subiecerunt vocales breves Ennius, Tibullus, Lucanus, Silius Italicus, Iuvenalis. Ceteri pronomina tantum personalia *me, te, se, tu, mi* (Horat. bis pro *mihi*) colliserunt, Vergilius, Horatius, Statius, Martialis etiam *si* coniunctionem, auctor carminis de figuris (apud quem v. 164 *quade* exarandum est, non *qua de*) et Persius *qui* pronominis relativi masc. singularem. Itaque Lachmanni coniectura ad c. 64, 16 *si qua alia* reicienda est (Baumann p. XXI); ego opinor pro *atque alia* **G** scribendum esse *namque alma*, quibus restitutis versus sic procedit:

Illa namque alma viderunt luce marinas.

Nec astipulari possumus Theodoro Bergk c. 10, 27 *mi anime* conicienti. Hiatum admiserunt Lucretius (sexies), Catullus (bis), Vergilius ter (ecl. 2, 65. 8, 108; Aen. 6, 507), Horatius (semel). Catulli hi sunt loci: c. 55, 4 *te in omnibus libellis* (cf. Verg. Aen. 6, 507 *te, amice, nequivi*. Hor. sat. 1, 9, 38 *si me amas*) et 97, 1 *ita me di ament* ex formula sollemni et comicorum sermone tritissima (cf. Plaut. trin. 1024; Most. 170; Pseud. 943. Ter. eun. 615; 1037 cet.); neque enim usquam alibi substantiva monosyllaba breves syllabae excipiunt. Neque cum codicibus et Schwabio *dii* scribendum est: nam et poetarum usus docet nominativum unam efficere syllabam neque hoc loco per leges metricas licet disyllabo uti: vocem enim iambicam nec cum syllaba brevi (ad Lucr. III, 941) nec cum acuta (ad Lucr. III, 954) coalescere Lachmannus nos docuit.

2. Posteriores igitur vocularum iambicarum in vocalem desinentium syllabae non eliduntur ante syllabam acutam nisi apud nonnullos ante vocabula minoris ponderis, apud Catullum tantummodo ante *atque* (c. 12, 2 *ioco atque;* 45, 3 *amo atque;* 101, 10 *ave atque*). Ceteroqui vocales non coeunt. Cf. Verg. ecl. 3, 79 *vale inquit Iolla;* ecl. 6, 44 *Hyla omne sonaret*. Ov. met. 3, 501 *vale inquit et Echo*. Hor. ep. 2, 3, 65 *diu* (?) *aptaque remis*. Huius hiatus duo per coniecturam in Catullum illata sunt exempla: c. 10, 27 *mane inquii* et c. 114, 6, ubi codices *dummodo̅* exhibent, Lachmannus ad Lucr. III, 954 *dum domo̅*, Munro *dum modo̅*, Riese *dum bono̅* voluit. Sed

*) Cf. Haupt obs. crit. a. 1841 p. 16 sqq. (= opusc. I, 88 sqq); Lucianus Müller de re metr. a. 1861 p. 283 sq. et 307; Otto Müller, quaestiones Statianae, Berolini 1861 p. 17; Julius Schultz, Beiträge zur lateinischen Metrik. I. progr. Gedan. 1872, cuius notitiam debeo benignitati Pauli Deuticke, viri humanissimi; Baumann de arte metrica Catulli, progr. Landsberg. 1881 p. XXI sq.

Luc. Mueller ullum in litteris Latinis esse exemplum hiatus in altero pentametri hemistichio admissi negavit. Itaque hiatus tollendi causa voculam *eo* addidit neglecto praecepto illo, quo vocem iambicam cum syllaba acuta coniungere vetamur, neque sententia satis respecta. Ego versum ita restitui posse confido (similiter iam Peiper, ni fallor):

Saltum laudemus, dum domino ipso egeat.

Catullus igitur non dubitat saltum illum laudare, qui nullis rebus eget, dummodo ipso domino egeat; saltui enim nihil gratius acceptiusve accidere posse quam ut tali domino liberetur.

3. Syllaba ultima vocabulorum creticorum ante syllabam productam corripitur, ut Lucr. VI, 743 *Remigi oblitae*. Verg. georg. 1, 281 *Pelio Ossam;* Aen. 3, 211 *Insulae Ionio;* 5, 261 *Ilio alto*. Prop. 4, 11, 17 *Omphale in*. Sed Catullus voces creticas semper collisit (cf. p. III); unum talis hiatus exemplum (c. 57, 7) a Catulli usu alienum esse et librariorum praeter **O** socordiae deberi supra demonstravimus.

Iam summam faciamus eorum, quae disputavimus de syllabis propter hiatum in thesi correptis. Catullus igitur semel monosyllabum hiulcum posuit in carmine etiam aliis licentiis insigni, semel formulam ex sermone vulgari notissimam in versum recepit eodem hiandi arbitrio, quo poetae comici usi sunt. Iambicone in verbo hiatum semel (c. 10, 27) admiserit, incertum est: orationem vero post creticas voces hiare poeta noluit. Et quoniam vidimus Catullum hiatum in thesi ita adhibuisse, ut vix ea sibi permitteret, quae ceteri poetae elegantissimi, eo pertinacius negabimus post breves vocales orationem hiare poetae placuisse. Nam c. 11, 11 et 114, 6 (v. supra) qui non offendit in vocibus foedissime hiantibus, is sententia non minus hiante et claudicante facile sibi persuadebit hos locos haud esse sanos neque idoneos ad leges metricas Catulli inde cognoscendas. C. 55, 12 *en haec* scribendum esse pro *em haec* iam (p. VIII) dixi. Quid, quod c. 3, 16 hiatus in **V** non invenitur (pace Schulzii fari hoc nobis liceat, qui progr. Berol. 1893 p. 16 dicit: „c. 3, 16 ist in allen mss. *male! o* überliefert“) ac diu ab editoribus respuitur; quo loco si cum Italis Catullo obtruderemus hiatum, distinctionem, qua vocabula illa *male! o* seiunguntur, excusaremus (cf. Verg. ecl. 2, 58; Aen. 1, 405) neque quicquam ad verba *me hercule et* defendenda proficeremus. In quibus Lachmanno (ad Lucr. III, 227) ante *et* pronomen *ei* excidisse visum est, quod semel apud Catullum reperitur nec disyllabum. Sillig post *et* verbum *est* addidit, quod Baehrensius male repetitum arbitratus *a!* interiectionem inseruit, quae quam facile aut male legi potuerit aut omnino omitti, nemo est quin intellegat. Quamobrem c. 67, 23 Catullum non *illius gnati*, quod in codicibus est, sed *illius a! nati* correpta pronominis paenultima, ut semper (septendecim locis), scripsisse coniecerim (Riese: *illius a! gnati*). Hoc autem loco Baehrensium sequi nolo:

nam displicent duae interiectiones *mehercule* et *a* iuxta positae. Itaque cum Silligio facio, cuius sententiam etiam alii (Froehlich, Schwabe) amplexati sunt.

Sed subsistere cogunt temporis subsicivi angustiae. Quodsi viris doctis quae nova his paginis protuli probabuntur, gratissimum erit: si minus, at certe curae, quam in Catullo explicando et emendando posui, me non paenitebit, si id mihi concessum erit, me nec longius deflexisse aut aberrasse ab artis nostrae via ac ratione nec umquam cavillando aut maledicendo probavisse, quod argumentando et disceptando parum probaverim.